



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die decima-tertia Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Die decima-tertia Ianuarij.

De sancto Remigio, Francorū apostolo,

Ex Gregorio Turonensi, & ex Hincmaro Rhemensis, obser-  
uationes Belgica.

**R**henis metropoli, depositio sancti Remigij, Francorum Apostoli, viri eximia virtutis. Cuius sanctitatis præconium merito credulitatis suę gens Francorum, debitæ venerationis cultu, celebriter recolit.

Huius Apostolici viri memoria inter Belgas est celebranda, eo quod maior Belgij pars ipso episcopante regibus Francorum paruerit. Multum est autem regem conuertisse ad fidem: verum est enim vulgatum carmen, ex Claudiano de-

De quarto  
consulatu  
Honorij.

sumptum, *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Hincm. in  
vita Remi-  
gij.

Ceterum non tantum regis meminit Hincmarus, sed notanter scribit Clodoueam omnem Fran-

Lib. secūdo  
capite tri-  
gesimo pri-  
mo.

corum populum per beatum Remigium ad fidem conuerti & baptizari, obtinuisse. Scribit idem ibidem, & Gregorius Turonensis in histo-

Sidonius in  
epigramate  
ad Maio-  
rianum.

ria suę gentis, Clodoueo ingresso ad fontem vitalem, dixisse sanctum Remigium, *Mitis deponē colla Sicamber.* Ex quo primus hic Francię Christianus rex, videri posset ortu aut origine Geldrensis

Æmylius  
libro primo  
de gestis  
Francorum.

Geldros enim olim Sicambros, dictos fuisse, multi constanter asserunt: & Sidonij carmine comprobatur. *Detonsus Vahalim bibat Sicamber.* Quo etiam pertinet quod Paulus Æmylius scribit, primos Francorum circa Toxiandriam, secundos in Tungris, constitisse. Sed & Hincma-

rus refert, Sicambros Tornacum, Cameracum, aliasque Belgicæ prouinciæ partes occupasse, in ijsque sub Clodione & Meroueo regibus vixisse.

Est præterea aliud considerandum, magnam Belgij partem non tantum Regis Christianissimi potestati, sed & Remensis episcopi sollicitudini metropolitico iure, subfuisse. Hinc sanctus Remigius Vedastum dedit Atrebatibus episcopum, & tam ipse quàm eius successores, tot beneficia nobis contulerunt, vt ea quæ passim monumentis sunt prodita, non absque prolixitate recapitulari possent. Administrauit autem Remigius episcopatum suum annis septuaginta quatuor. Vnde propter ætatis prolixitatem Iubilæus nominabatur. Ex quo discimus non nuperum esse vt Iubilarios honorare, qui laudabiliter quinquaginta annos in sacerdotio, aut, quod rarissimum est, in episcopatu exegerunt.

Fortassis autem Vsuardus Rhemios metropolim vocans, non ad ecclesiasticum ius metropolitico respexit, sed ad alterum ciuile. Nam in Prouinciarum libello, ciuitas Rhemorum nominatur Belgicæ secundæ metropolis.

## 2<sup>o</sup>. *Obitus beatae Iuettæ, reclusæ.*

*Ex Hugone Floressiensi.*

**E**odem die in territorio Leodiensi, obitus B. matris Iuettæ, quæ marito orbata, decem annis leprosis extra muros Hoyenses humanitatis & seruitutis officia exhibuit: deinde cum annis triginta sex reclusa fuisset, quieuit in abundantia virtutum anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo. Cuius corpus Ioannes Floressiæ abbas terræ inhumauit: eodemque Abbate iubente, Hugo prolixo libro merita & vitam defunctæ mulieris descripsit.

Decima